

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio LV

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

Respondente,

GEORGIO SCHWARTZBACHIO

Laubanenfis Lufato.

Dominica XXIV. poſt Trinitatis.

A. O. R. cl. lcc. III.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Heredum Melchioris Oel-
ſchlegelij*

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disputatio IV
PRAESIDE

CHRISTIANO GUBINZIO

Gymnasii Hallensis

Refectorii

GEORGIO SCHWARTZBACHIO

Landpredicatore

Dominice X. N. post Trinitatis

1640 O. R. ch. h. m.

HALLIS SAXONUM

Rechtsherrn Melchioris Gub.

Refectorii



ANALYSIS
EVANGELII
 DOMINICA XXIV. POST
 TRINITATIS.

Matth. 9. à v. 18. usq; ad 27.

ANTELOGIUM.



*H*abetur Psalm. 4, 4. *Scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum. Et sanè mirabilis est Dominus, & inclutus in arcano sanctorum, Ps. 89, 8. Idq; etiã Mosis baculus in serpentem versus Exod. 4, 3. restatur: virga etiam Aaronis florida facta, Num. 17, 9. loquitur: maxilla asini in fontem limpidissimum resoluta, Jud. 15, 19. demonstrat: Elie pallium jordanem dividens, 2. Reg. 2, 8. comprobatur; Petri umbra egrotos sanans, Act. 5, 15. arguit: sudaria Pauli infirmis imposita, Act. 19, 12. convincunt; ut meritò exclamemus. sci-*

B b

rote,

tote, quoniam mirificavit Dominus sanctos suos. Et tamē illi omnes virtute fecerunt aliena omnia; at Sanctus sanctorum Christus Jesus, Dan. 9, 24. virtute propria. Id quod præter cætera testatur etiam præsens Evangelii periocha:

THESIS I.

In qua mundi cœmiterium, ubi est occasio, Jairi propter mortuam filiam sollicitatio v. 18, in quo tempus, ratione objecti: Hæc cum illis. Nempe cum discipulis Johannis Baptista: quoniam hi ei proposuerant, quare ipse & discipuli non ieiunarent? ad quam questionem triplici similitudine respondit: 1. Nuptialibus filiis ieiunia non convenire, quales essent discipuli sui: 2. Phariseorum cultum esse quasi attritas vestes, quibus panniculus novus non concordaret: 3. Esse quasi veteres utres & centones, quibus vinum recens infundi nequiret.

2. Ratione effecti: loqueretur. Hoc est, cum de talibus cum illis differeret, non sine fructu audita sunt: uti alias verbum Dei nusquam frustra predicatur. Ut discamus, Deum semper colligere sibi Ecclesiam, & verissimum esse illud Salomonis: Cum placuerit Do-

Domino via hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem, Prov. 16, 7.

3. Et eventus, ubi præmittitur attentionis particula: *Ecce. Quæ est nota à tribus Evangelistis usurpata in hac historia; non tantum demonstrantis, sed etiam admirantis maximam Dei providentiam; Et ecce, primas quidam venit, tanquam ex medio inimicorum, Psal. 115, 2.*

4. Et exponitur subjectum, indefinitè: *Primas quidam. Qui tamen à Marco cap. 5, 22. unus ex præfectis synagoga, uti et à Luca cap. 8, 41. vocatur; atque ita describitur à dignitate. Iudei enim Hierosolymis templum habebant unum, in quo sacrificia et preces peragebant, Deut. 12, 5. Synagogas verò plures habebant in singulis oppidis, ubi in sabbatho conveniebant, pueros circuncidebant, Mosem et Prophetas legebant, Luc. 4, 15. Matth. 10, 17. Et qui his præerant dicebantur Primates, qualis hic fuit, uti ex Marco et Luca constat: qui addunt etiam nomen proprium, quod dicitur Jairus, id est, illuminator. Ut discamus magistros scholarum non tantum esse primates et principes, sed esse debere illuminatores doctrine et vite, qualis fuit etiam Hierosolymis Simeon, Luc. 2, 25. Nicodemus, Joh. 3, 1.*

Gamaliel, Aetor. 5, 34. Crispus & Sosthenes, Act. 18, 8. Non ergo sunt vili pendendi, & vel pueris postponendi; neq; tales, si Praeceptores apti & digni sunt, ad officia praestis promovendi.

5. Et praedicatum per effectum, quoad gestum, tum: venit. *Uti ex aulicis in Veteri Testamento Naeman, 2. Reg. 5, 1. ita in Novo Testamento Centurio, Matth. 8, 5. Regulus, Johan. 4, 46. Cornelius, Aetor. 10, 1. Ex principibus synagorum ante nominatus hic Jairus, Matth. 8, 18. e Senatoribus Iosephus, Matth. 17, 57. e publicanis Matthaeus, Matth. 9, 9. e foeneratoribus Zachaeus, Luc. 19, 2. e persecutoribus Paulus, Aetor. 9, 1. nempè ex omni hominum genere.*

6. Tum: adoravit eum. *Agnovit igitur ipsum talem, qualem allocutus, & testatus, quamvis adhuc imbecillâ fide, ipsum esse verum Deum, ut non saltim politica, sed etiam religiosa adoratio intelligenda; planè enim, uti Marcus explicat, accidit ad pedes eius.*

7. Quoad dictum, in quo narratio: *filia mea modò defuncta est. Ita causam impulsivam exteriorem allegat, quâ motus Christum accessit. Crucem nimirum suam exponit, atq; ita urgente necessitate accidit ad pedes.*

Mar

Marcus quidem dicit in extremis fuisse, & Lucas moribundam, quia dicit velut conjetans, quòd reliquerat eam extremum exhalantem spiritum, vel ut augens calamitatem, quo ad misericordiam provocaret Christum, ait Theophylact in Matth. 9. cap. Ut discamus, crucem esse Φάσμα του salutis, Nazianz. orat. 8. de pace. Et naturalem parentum in liberos affectum, quomodo pro liberis morbo decumbentibus solliciti esse debeant.

8. Et postulatio conditionatè, quoad accessum; sed veni. Unde ejus fidei imbecillitas intelligitur, quia aliàs etiam absens sanare & voluit & valuit; interim tamen fides fuit. Ex Ecclesia est ut habeas firmos & infirmos, non id tuà virtute, sed Dei munere effectū est, quod habet Athanas. lib. comment. Rom. cap. 12. quoniam singulis Deus mensuram dividit fidei; sive magnum sit illud, sive exiguum, quod datur, Deus ipse largitur. Ne ob infirmitatem desperemus, & propter firmitatem, namq; qui stant, videant ne cadāt, 1. Cor. 10, 12. ne attollamur.

9. Quoad modum: & impone manum tuam super illam. Vide, inquit Chrysost. hom. 32. ruditatem principis; duo quidem à Christo postulat, ut veniat, & ut ma-

num imponat. Ut discamus, Deo non esse præscribendum. Quod si tamen quid fiat, voluntati eius relinquendum est; alias sæpè imposita manus, ut in oratione, Mat. 18, 18. in ordinatione, Act. 6, 7. in sanatione, Act. 13, 3. Unde discimus, quod sermone & tactu mortem repellere possit. Hac de causa in exsuscitandis mortuis non tantum verbo utebatur, verum etiam carnem suam cooperatricem nonnunquam adhibebat, ut re ipsa ostenderet carnem quoque suam, quoniam sibi conjuncta est, esse vivificam, ait Cyrillus lib. 4. in Joh. c. 14.

10. Absolutè: & vivet. Id quod omnino proficiscebatur ex fide; alias enim hoc non addidisset. Ut discamus, crevisse imbecillam fidem, & augmentum sumsisse, dum omnipotentiam ei tribuit resuscitandi.

11. Et Christi benevola obtemperatio v. 19. in quo iterum subjectum: & surgens Jesus. Atque sic statim ad ejusdem petitionem excitatus, promptitudinem in audiendo & faciendo declarat. Ut discamus subvenire statim proximo nostro. Inde, inquit Salvianus lib. 2. de provident. Dei, beati essemus, si promptitudinem talem & obedientiam Deo ostenderemus; si tam prompti ipsi etiam Dominum audire vellemus.

12. Prædicatum per effectum, quo ad Christum: secutus est eum. *Uti roga-
verat ipse, quo partim confirmaret fidem,
partim nos doceret, facilitatem in præstandis
officiis.*

13. Quoad comites: ac discipuli il-
lius. *Tanquam testes. Quamvis unus ex do-
mo Archi-Synagogi, uti Lucas habet v. 49.
prohibuerit, ne vexaret magistrum. Ut disca-
mus etiam sequi Christum, & comitari eun-
dem, quorsum etiam iurerit, modò in nostra po-
testate sit.*

14. Et Christi refrigerium, ubi hæ-
morrhousæ sanatæ ratio, respectu mulieris,
hujus desiderantis observanda fimbriæ
contrectatio v. 20. in quo præmittitur at-
tentio: & ecce. *Quam repetit Evangelista,
ut attendamus, quid acciderit, dum abiit cum
Archisynagogo.*

15. Et exponitur iterum subiectum
in genere: mulier. *Antea filia fuit, mo-
dò mulier. Ut ostendatur hujus sexus imbe-
cillitas, & natura humane innatur infir-
mitas.*

16. In specie describitur partim ab
affectu: quæ sanguinis profluvio laborave-
rat. *Quod triste, & admodum molestum.*

unde & *muſca* appellatur ſive flagellum apud Marcum v. 19. Et quamvis ſint naturales cauſe, tamen Deus peculiariter mulctavit hunc ſexum, propterea, quia prior fuit in praevaricatione, 1. Timoth. 2, 14. quia virum ſeduxit, Gen. 3, 6. ne ſupra modum mulieres efferrantur, 2. Corinth. 12, 7. ut diſcant imbecillitatem agnoſcere: eſt enim peccati indicium. Nam, uti profluvium reddidit foeminam impuram, Lev. 15, 19. ita & peccatum, Eſa. 64, 6. profluvium reddidit illam infirmam, Marc. 5, 36. peccatum itidem, Pſalm. 38, 4. profluvium reddidit illam ineptam ad converſationem hominum, Levit. 20, 18. ita & peccatum, Eſa. 59, 2. Unde Theophylaſtus in Marc. cap. 1. intelliges etiam hoc de humana natura, quae ſanguinis profluvio laborat; ſcaturit enim peccatum, quod mors eſt anima, & ſanguinem anima noſtra effundit. Nunquid ergo, quaerit Auguſtinus meditat. cap. 21. hoc, quod vivimus in hoc mundo, dicere poſſumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aërea morbidant, eſca inflant, jejunia macerant, joci diſſolvunt, triſtitia conſumunt, ſollicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, divitiae inflant & jaectant, paupertas dejicit, juvenus extollit, ſenectus incurvat,
 infir-

infirmitas frangit, mœror deprimit: Et his malis omnibus mors furibunda succedit, simulq̄ cunctis gaudiis istius miserae vite ita finem imponit, ut, cum esse desierit, non fuisse putetur, ut rectè mors ista vitalis, & vita verè mortalis sit.

17. Et morbi tempus: duodecim annos. Quibus, uti Marcus addit, in Medicos omnem substantiam impendit; siquidem & fallitur Medicus aliquando, Augustin. in Psalm. 102. & promittit sanitatem de corpore humano. Quare verò fallitur? Quia hoc non curat quod fecit. Deus fecit corpus tuum, Deus fecit animam tuam, novit, quemadmodum recreet, quod creavit: tu tantùm sub manibus Medici esto, odit enim repellentem manus suas. Non autem, inquit Basilius quæst. diffus. cap. 10. q. 55. quia aliqui arte medica probè non utuntur, fugienda est ejus utilitas, neq̄, tamen omnis spes in ipsa ponenda; sed quemadmodum utimur agriculturâ, benedictionem tantùm à Deo petimus, ita & Medicina. Nam Dei donum est, Sir. 38. 4. ipse se vocat Medicum, Exod. 15. 26. Angeli Medicinam exercuerunt, Tob. 7. 5. Lucas Medicus laudatur, Coloss. 4. 14. & donum Spiritus Sancti est, 1. Corinth. 12. 9.

18. Prædicatum, quoad modum: accedens à tergo. *Quia enim tali juxta legem, Levit. 15, 30. non licitum erat conversari cum reliquis, neq̄, quid tangere: ideoq̄, à tergo accedit, quasi curari gestiens sanitatē, habet Bernardus in soliloq. Ut discamus humilitatem, quia nihil est, quod nos ita & hominibus gratos & Deo faciat, quam si vite merito non magni, sed humilitate infimi sumus, habet Hieronym. epist. 4. ad Celant. Sic & Magdalena retrò accessit, Luc. 17, 18.*

19. Quoad objectum: tetigit fimbriam vestimenti ejus. *Peculiare præceptum Judæi habebant de vestitu, quòd gestare deberent vestes quadrangulas, Numer. 15, 38. Deuteron. 22, 12. haberentq̄, funiculos super quatuor angulos. Talem quoq̄, vestem, ait Lyra, Christus portabat. Et ita gentilis apprehendit judæum in orâ vestimenti, secundum prædictionem Zachar. 8. 2. Quæ fides fuit; nam tangere credere est, inquit Augustinus serm. 155. de temp. Quia facilè possumus intelligere de muliere, quæ tetigit fimbriam vestimenti Christi, & salva facta, quæ sic eum tetigit, non ut hominem sanctum, neq̄, Prophetam, quem contaminabilem pro humana substantia sciret, sed ut istum Deum, quem nulla spurcicie pol-*
lui

lui posse praesumerat, habet Tertullianus lib. 4. adversus Marcion, cap. 20. *Ita omnis anima accedat ad eum, sive corporalibus agra peccatis, sive clavis quibusdam humane cupiditatis infixis, sive imperfecta adhuc quidem, sed intenta tamen meditatione proficiens, sive multis sit jam perfecta virtutibus; omnis in Domini potestate est, & omnia Christus est nobis; si vulnus curare desideras, Medicus est; si febris aestuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est, Ambrosius libr. 3. de virgin.*

20. Et fidei manifestatio v. 21. in quo efficiens causa, quæ erat causa impulsiva interior: dixerat enim intra sese, *Hoc est, cogitaverat, ut fidei sit ostensio. Idq; factum ex firma cordis fiducia.*

21. Et forma quoad antecedens: si tantum tetigero vestimentum illius. *Qua dubitatione fidem suam exprimit, atq; sic majorem, quam Archisynagogus, fidem testatur: Non quod vestimenta vim aliquam sanandi habeant, ait Lyra in cap. 9. Matth. sed quod per hoc declaretur virtus eorum, quorum sunt vestimenta.*

22. Et consequens: *ero salva. Quia fiducia*

fiducia non dirigebatur in vestem. Unde dicitur vestimentum eius, sed in Christum. Tetigit igitur non ex superstitione, sed ex fide, & peculiari Spiritus Sancti instinctu. Fidei verò nihil impossibile; credere in Filium Dei est videre, est audire, est odorari, est gustare, est contrectare; In tactu autem firmitas credulitatis insinuatur, cui sensui præ cæteris major fides habetur; nam & oculi phantasmate, aures mendacio sæpius falluntur, habet Vigilus lib. 4. contra Eutychem.

23. Respectu Christi, cujus benigna erga mulierem declaratio v. 22. in quo respectu Christi quoad statum, de modo: at Jesus conversus. *Fidem mulieris glorificat, ut Archisynagogo animum reddat. Ut discamus Christi benevolentiam in iuvandis miseris.*

24. De affectu: & vidit illam. *Ita quoties Christus nos respicit miseros, toties gratosus ejus vultus nobis prodest. Ut discamus accedere, quo convertamur, & nos accipiat.*

25. Quoad affatum, summam: confide. *Per solationis promissionem. Et beatus, quem ita alloquitur. Ut discamus confidere Deo.*

26. Ex-

26. Explicatim, quoad relatum: filia. Quia agnoverat ipsum Patrem, hoc est, omnipotentem Deum: & propterea, dum filiam appellat, non ex superstitione hoc fecisse declarat.

27. Quoad causam: fides tua te salvam fecit. Ideò, habet Hieronymus, quia fides salvam fecit, filia: ut fidem tangentis exprimeret, Lucas 8, 46. ait: tetigit me aliquis. Beatus ergò, qui vel extremam partem attigerit, ait Ambrosius libr. 6. in Luc. cap. 8. Vides itaq;, habet Augustinus. quæst. in utroque Testam. 102. nullius adjutorio, sed quemq; sua fide servari. Hoc enim decrevit Deus fidei, ut, si non dubitet, omne, quod voluerit, consequatur, ex Chrysost. in epist. ad Hebr.

28. Respectu mulieris, ubi effectus: & salva facta fuit mulier. Non ergò tantùm dixit, sed etiam prestitit, ut qui adjutor in oportunitatibus presentissimus; nec dixit salva futura est, sed facta est. Ut discamus, Christi dicere esse facere.

29. Et tempus: à tempore illo. Quo confestim stetit fluxus sanguinis, uti habet Marc. v. 19. Sicuti, si quis afferret oculum ad lumen lucens, vel stipulam ad ignem, statim operationem illorum experiretur; ita illa afferens
fidem

fidem ad illum, qui sanare poterat, statim sanitatem adeptam est, ait Theophylact. Ipsam quidem sanctam carnem attingere non audeat; nondam enim mundata fuerat, sed simbriam tetigit vestimenti, sancta qua caro Christi tegebatur. Et fide hac innixa ab immunditia mundatur, & plane sanatur, habet Cyrillus lib. 4. in Levit. Ita sanata fuit mulier ουπερβουλιως per contactum vestis, οργαυικως per fidem, ερεγγυτικως per virtutem carni Christi communicatam.

30. Et filiae mortuae Jairi resuscitatio, cujus antecedens est in ædibus lugubribus tumultuatio v. 23. in quo circumstantia, quoad tempus: Et cum venisset Jesus. Apud Marcum v. 35. & Lucam v. 49. premittitur, quod Jairo adhuc cum Christo loquente nunciatum sit mortuam esse puellam; venit tamen Jesus, siquidem, uti quidam habent, dixerat, noli timere, crede tantum, & salva erit. Ut discamus, maximum esse solatium, si Christus veniat.

31. Quoad locum: in ædes Primaris. Non substitit in via, sed uti petiit, dignatus est ipsum sua presentia. Ut discamus, Christus voluisse lychnum fumigantem non extinguere, sed accendere.

32. Et materia: vidissetque tibicines. Tibiarum enim usus erat etiam ad ducendos excitandosque luctus. Et ita apud nos etiam pulsantur campanæ, Ut discamus mortuos esse lugendos. Modus in populo Israelitico fuit ut convenirent in domo illa, uti patet Act. 9, 39. in habitu gentium, Ezech. 24, 17. instituerunt plandum, Sirac. 30, 16. recitarunt vitam defuncti, Psalm. 112, 6. deinde convivium habuerunt, Jer. 16, 7. Ex quibus ceremoniis etiam maximam partem in primitiva Ecclesia constituta sunt certa ceremoniæ, ut habet Cyprianus libr. 1. epist. 9. & 10. non pro mortuorum salute, sed ut esset solatium vivorum, uti loquitur Augustin. libr. de cura pro mort. gerenda cap. 2.

33. Et turbam tumultuantem. Uti fieri solet, præsertim ubi divites moriuntur. Flebant enim omnes, & plangebant illam, ait Lucas v. 22. ut fieret populo Capernaumitico notum. Varia quidem apud eos facta erant miracula, mortuus autem nondum resuscitatus, ut inclaresceret magis, quid iam facturus Dominus tumultuantur.

34. Et adolescentulæ dormientis significatio v. 24. in quo partim de Christo, cuius præceptum: dicit illis, secedite. Ubi enim
amara

amara Archisynagogo facta conjectura, tibia, cœteraq; instrumenta, quoniam mortua puella, ad comitandum fletum adhibita fuerunt, ait Chrysoft. homil. 32. Ideoq; iubentur secedere; mortuum enim non artifex fistula, sed simplex plangit affectio, habet Chrysol. serm. 19. Ergo vult Christus ut secedant. Quo discamus, Christum non esse ubi tumultuantes sunt, sed ubi turba credentium, ait Hieronymus in Matth.

35. Et per remotionem: non enim mortua est adolescentula. Atq; ita contradicit & nunciantibus & tumultuantibus. Non quidem dormiebat secundum homines, sed secundum Deum: quia Deo vivunt omnia, habet Hieronymus in Matth. aliàs verè erat mortua, quia spiritus rediisse dicitur, Luc. 8, 25.

36. Et per positionem: sed dormit. Mors enim sepè in scripturis dormientium dicitur propter futuram resurrectionem, velut evigilaturorum, habet Augustin. epist. 120. cap. 32. Et quia Christus tam facile mortuos resuscitavit, quàm facile fugari somnus potest, ait Theophyl. Unde rectè somno mors comparatur, uti enim somnus obrepit, ita mors, Luc. 12, 40. somno ab omnibus laboribus requiescimus:

suus; ita etiam mors est finis operationum, Apoc. 14, 14; somno sopitus nihil curat, ita nec mortuus, Esa. 26, 20; somnum capturi resuscitari possunt, ita & mortui, Johan. 5, 28. Unde mors bonorum virorum somnus, molestiarum finis, bonorum initium omnium, ait Isidor. lib.

3. Epist. III.

37. Effectus: & deridebant illum. Ubi solet ratio in talibus mysteriis, Actor. 7, 3. Derident itaque, ne possint postea dicere, quod in excessu mentis correpta fuerit, & non fuerit miraculum eam suscitari; sed ipsi contra seipso testari convincantur, quod verè mortuam suscitaverit, quando quidem deriserunt eum, quòd diceret, illam non mortuam, sed dormire. ait Theophyl. in cap. 5. Marci.

38. Consequens est tum mortuæ in vitam revocatio v. 25. in quo tempus: cum autem ejecta fuisset turba. *Que indigna videre miraculum resurrectionis. Ubi enim turba & tumultuatio, non operatur miracula Jesus, Theophyl. in Matth. 9. cap. Ut discas non videre, si velis miracula videre.*

39. Et effectus, continens modum: introgressus tenuit manum illius. Marcus & Lucas addunt, quòd Christus assumserit secum Petrum, Johannem & Jacobum, cum pa-


rentibus, simulq; quòd dixerit, *ταλιθα κέρι*
 seu puella surge: tenuit autem manu ut osten-
 deret vivificum suum corpus. Corpus enim
 vite est, Cyrill. lib. de recta fide.

40. Et eventum: & surrexit adole-
 scentula. Reliqui Evangelistæ addunt plures
 effectus, quòd ambulârit puella, Marc. v. 38.
 quòd jusserit Christus ei cibum dari, Luc.
 v. 25. quòd est testimonium vite, ut non phan-
 tasma, sed veritas crederetur. Beatus autem
 ille, cuius manû sapientia tenet: utinam meos
 quoq; teneat artus, teneat manum justitia, te-
 neat Dei verbum, inducat in penetralia sua,
 spiritum avertat erroris, convertat salutis, da-
 ri jubeat mihi manducare: Panis enim coele-
 stis est Dei verbum, ait Ambrosius libr. 6. in
 Luc. 8.

41. Tùm miraculi divulgatio v. 26.
 in quo eventus: & emanavit rumor hic.
 Quamvis Christus interdixisset, & nollet hoc
 miraculum ante tempus revelari multis, pro-
 pter judæorum fortasse invidiam, tamen latere
 non potuit; ita nos quoq; facere oportet, habet
 Theophyl. quando quis nobis invidet, ne ape-
 riamus nostra bona opera, sed curamus, ut
 ignorentur; tamen propalabuntur, si Deo vi-
 sum fuerit.

42. Et

42. Et locus: in totam terram illam.
 Stupor enim & admiratio fecit, ut magis ma-
 gisq; per totam regionem divulgaretur. Ut
 discamus, omne insolitum eo citius propalari.



N O T A E.

I.

Dominus Jairum secutus est) Con-
 sidera Christum omnia concione mox
 surrexisse & turbam eiecisse; ut discas
 promptè opera proximo ferre, & malam
 sodalitatem deserere.

II.

Tetigit fimbriam vestimenti) Con-
 sidera mulierem non sanatam cum
 proposuit; ut discas, non satis esse propo-
 situm vitæ facere emendanda, sed re ipsa ef-
 se emendandam vitam.

III.

Fides tua te salvam fecit) Conside-
 ra fidei mulieris Christum tribuere sa-
 nitatem; ut discas in operibus tuis fidei
 esse directorium.

Cc

CA-

CASUS I.

An Præceptor sit postponendus in
confessu & congesse, si dignus, juniori
alii, qui licet sit in magno officio
constitutus?

Videtur: 1. quia ratio ordinis & digni-
tatis in scriptura non improbat, sed
laudatur secundum justitiam distributi-
vam; Deus enim est Autor ordinis, unde
alii summi Sacerdotes, alii Levitæ.

2. Quia qui in dignitate & officio di-
gniori præferuntur eis, qui in minus digno.

3. Etiam filius propter officium præ-
fertur Patri, ita Joseph Jacobo, Da-
vid suo.

4. In publicis filius familias est pa-
tris loco, & propterea jura patria cessant,
l. 13. in fin. ff. ad Sct. Trebellian.

5. Novell. Si. consulatur.

Contra: 1. Seniores sunt honorandi,
l. 5. ff. de jure immunit. & potissimum,
quia hoc flagitat quartum præceptum.
Quod non cessat, licet interdum juniores
discipuli officia assequantur majora: At
præceptores sunt parentis loco, etiam plus
illis

illis debetur quàm parentibus, secundum
 effatum Alexandri Magni.

2. Filius emancipatus manet tamen
 filius; quia jura civilia naturalia mutare
 non possunt, arg. l. 35 ff. de R. I. Et propter
 ea Doctoratus patriam potestatem non solvit,
 C. de decur. No. 38. pr. §. 3. l. 2. & 3.
 C. de Advoc. div. judic. ad §. 4. n. 5.
 Treutl. dis. 2. th. Nec liberat à patria po-
 testate senatoria vel consularis dignitas
 expressè §. 5. l. quibus modis patria po-
 testas solvitur, ibi Schneidevin: Bald.
 in l. si maritus C. de patria potest. Nec
 Episcopalis. Cujac. in parat. de eman-
 cipat. liber. Pinell. in lib. 1. par. 1. n. 46.
 de bonis maternis Specul. de tutorib.
 §. si autem. 3.

3. Exstant exempla: sic Bethseba ad
 Salomonem filium veniens à dextris ipsius
 sedit, 1. Reg. 2, 19. Christus subjectus pa-
 rentibus mansit, Luc. 2, 51.

Ad contraria: Fall. cons. Concedi-
 mus ordinem, sed distinguimus honorem;
 & inter actus publicos & privatos, Agel-
 lius lib. 2. c. 2. dicit publicis in locis atq̃

muneribus & actionibus patrum jura cum filiorum, qui in Magistratu sunt, potestatibus collata interquiescere paululum, & connivere; sed cum extra remp. in domesticare atq. vita sedeatur, ambuletur, in convivio quoq. discumbatur, tum inter filium Magistratum & patrem privatum publicos honores cessare, naturales & genuinos exoriri. Unde & Baldus dixit, quod filius etiam Papa patrem revereri debeat. Fabius Maximus ubi Consul filius, & Proconsul Pater, equo vectus obviam venit, non descendit pater, priusquam ubi juxta venit, quod laudavit pater. Valer. lib. 2. c. 2.

Ad Novell. 81. Non intelligitur hic quilibet Consul, sed is, qui sub Augusto principali ordini fuit attributus, l. 3. C. de Conf. Et inde qui habebant, proceres dicebantur, unde & patres censebantur principis l. ult. C. de Consul. quibus equiparat Giphanius in hoc §. 4. principes Imperii Stukius ad instit. h. l. Et tamen aliud est tiberum esse à potestate patria civili, & aliud ordine sequi respectu honestatis.

CA-

CASUS II.

An Doctores scholarum Primates
rectè dicantur?

Negatur: 1. Quia in scriptura ita vocan-
tur legis interpretes, qui hunc titulum
habent, Luc. 14, 1. Joh. 3, 1.

2. Jura inter viles numerant personas,
pedagogos, & per consequens præceptores, arg.
l. 35. ff. de fideicommiss. libertat. & l. 15. §. 16.
ff. de injur. & famos. libell.

3. Consuetudo testatur, quòd sint in di-
gnatione, æquè ut ancilla, quæ latrinam lavat.
At consuetudine quæ comprobata sunt, ac per
annos plurimos observata, servanda l. 35. ff. de
LL. est enim ea altera natura l. 9. ff. de liber.
& postum.

Contra: 1. Hic vocatur primas archi-
synagogus, Matth. 9, 8. Joh. 7, 48. Luc. 8, 41.

2. Scriptura sacra Christum, quia do-
cuit, vocat præceptorem, Matth. 8, 19. 12, 38.
19, 16. 22, 16. & ostendit Gamalielelem, Actor.
22, 3. laudat Danielelem, Dan. 4, 9. 5, 11. Paulus
docuit quotidie in schola, Actor. 19, 9. etiam
aliorum fit mentio, qui sanè primates fuerunt.

3. Jura etiam iis, qui per 20. annos do-
cuere, comitivam attribuunt l. un. C. de
profess. qui in urbe Const.

4. Ci-

4. Ciceronis est: non esse majus munus in civitate, quam informare juventutem. Erasmus inquit: post Principes & Episcopos nemo melius meretur de genere humano quam ludi literarii magister.

5. Etiam propterea Jesuita apud Pontificios primarii; nec non apud Calvinianos magni. Lutherus ipse dubitat, quodnam majus munus an Scholasticum, an Ecclesiasticum Tom. 5. fol. 183.

Ad contraria: Ad 1. petitio princ nam & isti legis sunt interpretes. Neq; enim intelligimus eos tantum, qui docent legere, colligere syllabas, sed qui leges divinas & humanas interpretantur, qualis fuit hic Archisynagogus.

Ad 2. etiam P.P. disting. enim inter pedagogos & preceptores publicos. Isti privilegia habent, sicut etiam modo sint Grammatici, l. 17. § ult. ff. de muner. & honor. & l. 10. §. ff. de vacation.

Ad 3. Fall. caus. & conseq. Consuetudo enim, que cōtrariatur Scriptura, rationi recte, & juri improba, barbara, rustica, tyrannica. Consuetudo quippe mala non est probanda, sed non minus quam perniciosa corruptela vitanda, c. mala dist. 8. queq; nunquam, licet longa, prejudicat veritati l. 2. C. que sit long. consuet. est que tollenda 32. q. 7.

EX rivo nigro manare videntur inusq;
Flumina, dum morbus mortis adestq;
metus.

Jesus, sic primas synagoga, mortua, dixit
Filia. Tange! veni! vivaq; rursus erit.

Nec mora, surgit eum Jesus sequiturq; paratus,
Una discipuli concomitantur idem.

Sed mulier duodenos sanguine morbida menses
Est; ab ea Jesus simbria tacta retrò.

Dixerat hæc intra sese: modò simbria vestis
Sit mihi tacta, citò salvaq; rursus ero.

Vidit & hanc Jesus conversus, filia, dixit,
Fide! fides tua te salvat, & inde fuit.

At cum venisset Jesus primatis in ades
Ipse videt turbas, ipse turbasq; videt.

Dixit eis: omnes secedite! mortua non est.
Filia; sed dormit. Risit at illa cohors.

Est ejecta cohors tamen, introgressus Iesus
Est ubi; tunc surgit mortua, tacta manu.

Rumor & emanat miraculi, fama; vulgat
Factum, finitimis panditur omne locis.

Tangitur & tangit, moriens & mortua vivunt.
Vim te vis Christi tangere? tange prius.

Talia SCHWARTZBACHIUS proponit talia
pergat!

Albus & ex nigro rivus abundus erit,
uti testatur

GUEINZIUS.

Dum

Dum tibi Castalides nigro cognomen ab
amne

Finxerunt, album nomen in omen eat!

Absit abusus! erit bonus en epigrammatis usus.

Candida nam fieri flumina nigra solent.

SCHWARTZBACHius rivi gaudet cognomine
nigri,

Puras prebet aquas, hinc niger esse nequit.

Flumine quis mortis nigro sua lumina solvat,

Corporis aut morbo membra fluente trahat?

Accedat purum vite fontemq; salutis

Mox disiecta fluent flumina nigra necis.

Nil nisi mors requies aeterna janua vite,

*Vana & adhuc tantum est mortis imago
super.*

SCHWARTZBACHius monstrat, pergat de-
currere cepto

Flumine, sit gratus rivus amoenus aqua.

Albidus ad ripas quoties sua metra sonabit,

Tunc Clario placidas monte reducet aquas.

Sic pietas tandem caelestia flumina sentit,

Sic Summus rivum ritè beare solet.

Hec vovi, voveant alii, majoraq; vota

Fandant, qui vovi, hant plura vovere queos

Confratri suo adjecit

CHRISTOPHORUS GERBERUS
Lauba Lusatus.

02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017


EVANG.

CHRIST.

HALL.

Q2.C





Farbkarte #13

B.I.G.

ARUM
LICARUM
io LV
IDE
GUEINZIO
Hallensis
ore
ente
ARTZBACHIO
si Lusato.
post Trinitatis.
Inc. III.
XONUM
Melchioris Oel-
gely